

tionem motus. Sed tamen quia in terminatione motus appetitivi consurgit quidam motus, in quo passio animalis consistit; ideo passionem inesse accidit delectationi; sed inest per se delectationi sensitivæ.

Ad secundum dicendum, quod quamvis operatio inquantum operatio, non sit passio, tamen potest habere passionem annexam, vel sicut præcedentem, vel sicut subsequentem: ut præcedentem quidem, sicut sentire habet annexam receptionem speciei sensibilis; & intelligere receptionem speciei intelligibilis; & sic quamvis delectatio sit circa operationem, tamen inquantum est delectatio sensitiva, est in passione quadam consistens.

Ad tertium dicendum, quod delectatus includitur terminis suæ perfectionis, ex qua delectatio consurgit: qui quidem termini sunt alieni hoc modo quo differt perfectio, & perfectibile; sunt autem proprii secundum quod perfectio est connaturalis perfectibili.

Alia duo concedimus quantum ad delectationem sensitivam.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod delectatio invenitur diversimode in Deo, Angelis, hominibus, & brutis, secundum quod diversimode se habent ad suas perfectiones, ex quarum conjunctione delectatio consurgit. Bruta enim non possunt pertinere ad altiorem perfectionem quam sit perfectio materialis: unde eam consequuntur materiali motu, qui scilicet est per organum corporale; & sic delectatio in eis consurgens est materialis passio. In Angelis vero, cum sint omnino à materia separati, non est accipere aliquam materiale perfectionem, sed immaterialem tantum: unde & immaterialiter eam consequuntur, & delectatio in eis consequens immaterialis est. Unde dicit Dionysius in fine cœlest. Hierar. *Cœlestes dispositiones*, idest Angeli, *acceptivæ non sunt omnino ejus quæ secundum nos est passibilis delectationis.* Homines vero ex spirituali, & materiali natura compositi sunt: & ideo quantum ad inferiorem partem, scilicet appetitum sensibilem, in quo cum brutis conveniunt, est delectatio materialis, in superiori vero appetitu, in quo cum Angelis conveniunt, habent delectationem immaterialem, ut cum gaudent de rebus spiritualibus, puta de contemplationibus, & aliis divinis donis: unde dicit Dionysius ibidem, quod *in participatione angelicæ delectationis sæpe facti sunt & viri Sancti per deificos divinarum illuminationum superadventus.* In omnibus autem prædictis perfectio est aliud ab eo quod perficitur: unde possibile est plures perfectiones uni inesse; & ideo tam in brutis quam in hominibus, & Angelis sunt multiplices delectationes eis supervenientes. Sed Deus non habet perfectionem quæ non sit idem quod ipse, cum ipse sit actus purus: & ideo unica tantum est ejus delectatio, non superveniens, sed essentialis: unde dicit Philosophus in VII. Ethic. c. ult. quod Deus semper una & simplici gaudet delectatione.

Ad primum ergo dicendum, quod in appetitu intellectivo nulla est passio, sed solum in appetitu sensitivo: quia quod patitur, ab alio movetur, & ducitur. Appetitus autem intellectivus, cum sit liber sui, non dicitur duci; sed appetitus sensitivus ducitur: unde in eo solo passio cadit; delectatio vero quæ

(3) *Al. deest nisi.* (4) *Al. ad hoc.*

est in appetitu intellectivo, non est passio, sed quædam operationis perfectio, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod Avicenna loquitur de delectatione sensitiva, quæ per organum completur corporale, sicut & cætera quæ ad sensitivam partem pertinent.

Ad tertium dicendum, quod illa quæ sunt communia nobis, & brutis secundum unam rationem non pertinent ad intellectivam partem; sed aliquid est commune nobis, & brutis, non secundum rationem eandem, quod in nobis ad intellectum pertinet, sicut cognitio, & alia hujusmodi, quæ secundum quamdam communitatem analogiæ extenduntur à Deo usque ad bruta animalia, ut cognitio, & etiam usque ad plantas, ut vita, & etiam usque ad lapides ut esse, ut patet per Dionysium de divin. Nom. (cap. iv. part. i.) & secundum hoc delectatio spiritualis habet communitatem cum delectatione quæ est in brutis.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod aliquid dicitur esse in tempore dupliciter. Uno modo per se, alio modo per accidens. Quia autem de ratione temporis est prius, & posterius, & illud per se inest alicui quod convenit ei secundum rationem suæ speciei; ideo illa per se in tempore sunt in quibus requiritur aliquid ad complementum speciei quod in futurum expectatur; & hoc modo motus est in tempore: non enim completur species motus in medio, nisi perveniat ad terminum: & similiter etiam quies est in tempore, eo quod quiescere est eodem modo se habere nunc ut prius, & sic de ratione quietis est ut aliquid in futurum expectetur. Per accidens vero aliquid in tempore esse dicitur ad cuius speciei complementum nihil requiritur quod in futurum expectetur, sicut esse hominem quod in uno instanti completur; sed est conjunctum motui, qui per se est in tempore, prout esse hominis variabile est. Delectatio autem ad complementum suæ speciei, & rationis nihil in futurum expectat: in instanti enim verum est dicere hominem delectari: unde non est in tempore (3) nisi per accidens, inquantum scilicet perfectio illa ex cuius conjunctione surgit delectatio, motui conjuncta est: & ideo si sit aliqua perfectio quam motus non contingat, talis delectatio non erit in tempore neque per se, neque per accidens; & hæc est spiritualis delectatio in Angelis. In brutis autem est delectatio existens in tempore per accidens, inquantum eorum perfectionibus motus directe conjungitur; sed in nobis delectatio non est in tempore quoad intellectivam partem etiam per accidens, nisi valde indirecte, inquantum scilicet operatio intellectus nostri conjungitur phantasmatibus. Tamen verum est nullam delectationem esse in tempore per se loquendo.

Ad primum ergo dicendum, quod delectatio immediate consequitur operationes animæ, quæ sunt apprehendere, & velle. Hæc autem operationes non sunt in tempore nisi per accidens: videre enim, & intelligere, & velle statim sunt.

Ad secundum dicendum, quod (4) hoc quod aliquis dicatur diutius alio delectari, non est nisi inquantum delectatio est in tempore per accidens, sicut etiam dicitur homo diutius videre, vel vivere.

Ad tertium dicendum, quod etiam aliæ animæ passionem quantum ad id quod est ex parte animæ non sunt in tempore nisi per accidens, inquantum scilicet

(3) *Al. deest nisi.* (4) *Al. ad hoc.*

eis conjungitur motus ex parte corporis; tamen delectatio magis habet rationem quod non sit in tempore quam aliæ passionem: quia aliæ passionem consistunt in appetitu secundum quod tendit in aliquid, sicut ira in vindictam, & odium in nocentium alterius; sed delectatio consistit in appetitu secundum quod ejus motus in suo appetibili adepto terminatur: omnis autem terminus motus non est in tempore, sed in instanti.

SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod delectatio, gaudium, lætitia, & omnia hujusmodi habent commune quod causantur ex conjunctione perfectionis appetitivæ. Perfectio autem aliqua potest alicui conjungi dupliciter: uno modo realiter, alio modo secundum comprehensionem ejus. Ex hoc autem quod perfectio realiter conjungitur, consurgit delectatio; ex hoc autem quod conjungitur secundum apprehensionem, surgit gaudium, & omnia alia: & propter hoc etiam gaudium est de spe futurorum, & memoria præteritorum; sed delectatur de præsentibus tantum: ideo etiam quia sensus exterior non apprehendit rem nisi præsentem, secundum eum non dicimur gaudere, sed delectari. Sensus autem interior apprehendit & rem præsentem, & absentem: unde secundum sensum interiore dicimur & delectari, & gaudere: delectari quidem de eo quod sibi sua perfectio conjungitur, sicut de ipsa sua operatione, de qua etiam & gaudet inquantum eam apprehendit; sed de operatione sensus exterioris, quæ sibi non conjungitur nisi apprehensione, potest quidem gaudere, sed non delectari, sicut sensus interior, vel intellectus non delectatur in comestione dulcium, sed potest gaudere de hoc inquantum hoc apprehendit ut conveniens exteriori sensui. Lætitia vero, & exultatio, & jucunditas exprimunt quosdam gaudii effectus. Lætitia quidem effectum interiore, secundum quod ipse affectus dilatatur quasi roboratus, & perfectus ex appetibilis conjunctione, unde & passio gaudii cum dilatatione cordis perficitur: dicitur enim lætitia quasi lætitia. Sed exultatio exprimit ulterius effectum gaudii exterioris prorumpentem in signum interioris gaudii: unde dicitur exultatio ex hoc quod interior gaudium ad exteriora prodit, quod ex magnitudine gaudii interioris contingit: unde dicit Cassiodorus super Psalm. ix. quod exultatio in magnis gaudiis dicitur. Jucunditas vero ulterius importat effectum gaudii exterioris prorumpentem, qui non solum demonstrat interius gaudium, sed etiam excitat aliquos ad gaudendum.

Ad primum ergo dicendum, quod gaudium, & delectatio licet habeant unum objectum secundum rem, non tamen est unum objectum secundum rationem. Bonum enim conjunctum realiter facit delectationem, sed conjunctum secundum apprehensionem facit gaudium. Lætitia vero, exultatio, & jucunditas sunt idem quod gaudium, nisi quod exprimunt quosdam gaudii effectus, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod idem est causa delectationis, & gaudii, sed non eodem ordine: primo enim & per se est causa delectationis, secundario vero est causa gaudii. Numquam enim (5) aliquid apprehensum facit gaudium, nisi inquantum æstimatur ut conjunctum, vel conjungibile secundum rem ad faciendum delectationem: & ideo conjunctio

In IV. Sent. Tom. V.

(5) *Al. ad aliquid.* (6) *Nicolai acedia.*

perfectionis primo & per se facit delectationem; sed inquantum apprehenditur ut delectationem faciens, facit gaudium etiam quando delectationem actualiter non causat: unde delectatio naturaliter prior est gaudio.

Ad tertium dicendum, quod gaudio opponitur directe tristitia; delectationi autem opponitur dolor, secundum quod delectatio est in sensu exteriori, & præcipue in tactu; sed secundum quod est interius, non habet aliud oppositum quam tristitiam; posset tamen habere, si esset nomen positum.

ARTICULUS II.

Utrum causa delectationis sit sola operatio connaturalis habitus non impedita.

1. 2. q. xxxii. art. 1.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod causa delectationis non sit sola operatio connaturalis habitus non impedita. Dicit enim Avicenna in Lib. de naturalibus, quod delectatio consurgit ex perceptione convenientis adjuncti. Sed non sola operatio est convenientis, sed multa alia. Ergo non sola operatio est delectationis causa.

2. Præterea. Idem non est contrariorum causa. Sed operatio aliquando est causa tristitiæ, etiam propria, & connaturalis: unde (6) acedia, quæ quædam tristitia est, etiam consurgit ex spiritualibus operibus. Ergo operatio non est propria delectationis causa.

3. Præterea. Si aliquid est causa alicujus, continuatio ejus causa est continuationis illius. Sed continuatio operationis non est causa continuationis delectationis; immo continuatio operationis frequenter parit fastidium, & operationes in sui novitate sunt magis delectabiles. Ergo operatio non est causa delectationis.

4. Præterea. Quies operationi opponitur. Sed quies delectationem causat. Ergo operatio non est propria causa delectationis.

5. Præterea. Senes sunt attentioris operationis quam juvenes. Sed in senibus est minus de delectatione quam in juvenibus, ut patet per Philosophum in VIII. Ethic. cap. 111. Ergo operatio non est causa delectationis.

6. Præterea. Si operatio esset causa delectationis, similiter se haberent ad delectationem qui similiter se habent ad operationem. Sed aliqui qui similiter operantur, non similiter delectantur: melancholici enim minus delectantur quam sanguinei. Ergo videtur quod operatio non sit per se delectationis causa.

Sed contra est quod Philosophus dicit in VII. Eth. cap. xiiii. vel xiv. quod delectatio est operatio connaturalis habitus: nec hoc potest intelligi nisi causaliter. Ergo operatio est delectationis causa.

Præterea. Unumquodque distinguitur secundum distinctionem suæ causæ. Sed delectationes distinguuntur per distinctionem operationum, ut patet per Philosophum in X. Ethic. cap. v. Ergo operatio est delectationis causa.

Præterea. Habitus non cognoscitur nisi per operationem, vel per aliquid per operationem causatum. Sed habitus cognoscitur ex delectatione, ut dicitur II. Ethic. cap. 11. vel 111. Signum oportet accipere ha-

Yy bi-

(6) *Al. deest nisi.* (7) *Al. deest nisi.*

bitus sentem in opere delectationem. Cum ergo delectatio non sit ipsa operatio, videtur quod sit ex operatione causata.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod sicut anima est forma corporis, ita in his quae sunt communia animae & corpori, id quod ex parte animae se habet, est formale; quod vero ex parte corporis, materiale; sicut in ira appetitus vindictae est formale, accensio sanguinis circa cor est materiale. Cum ergo delectatio, secundum quod est passio, sit de communibus animae & corporis, causa ejus potest quae duplex, formalis ex parte animae, & materialis ex parte corporis. Sed quia delectatio, secundum quod se tenet ex parte animae, habet rationem quasi communem quantum ad omnes in quibus delectatio invenitur, scilicet Deum, Angelos, & homines, & bruta; secundum autem quod se tenet ex parte corporis, manet tantum in parte animae sensitiva: ideo causa formalis delectationis est causa delectationis cujuscumque, non autem causa materialis ipsius. Patet etiam quod secundum formam est aliquid actus, sed secundum materiam est aliquid in potentia; & secundum materiae dispositiones est aliquid in aptitudine, vel habilitate ad actum: & ideo secundum materialem causam delectationis scitur quomodo aliquis sit dispositus ad delectationem; sed secundum causam formalem ipsius apparet qualiter aliquis actus delectetur. Formalis igitur causa cujuslibet passionis, vel operationis est objectum ipsius: objectum autem delectationis est bonum conveniens conjunctum. Ex eo enim quod delectatio est in parte appetitiva, oportet quod ejus objectum sit bonum; ex eo vero quod est appetitus jam terminati in suo objecto, oportet quod sit conveniens etiam conjunctum. Hoc autem bonum quod est proprium delectationis objectum, est operatio; praecipue propter tres rationes. Primo, quia cum delectatio consistat in quietatione appetitus, motus autem appetitus sit in bonum; oportet quod quietus ipsius delectatio sit in ultimo bonorum. Ultimum autem, & perfectissimum quod est in unoquoque, est sua operatio; unde omnis forma inherens comparatur ad operationem quodammodo ut potentia ad actum, propter quod forma dicitur actus primus, ut scientia, & operatio actus secundus, ut considerare, ut patet in II. de Anima, text. 111. Secundo, quia cum delectatio sit in appetitu, & omnis passio, vel operatio appetitus praerigat apprehensionem, oportet quod bonum conjunctum quod delectationem causat, sit apprehensum. Dispositio autem quae est jam inherens, a nobis non apprehenditur ita sicut dum est in fieri, ut Avicenna dicit in VI. de naturalibus, part. 11. cap. 111. unde (1) hectici minus sentiunt calorem febrilem quam alii febricitantes, quamvis in eis febris sit intensior, quia jam calor ille est infusus membris quasi complexio illorum: & hoc ideo quia nostrum sentire, & intelligere sunt ex aliqua permutatione intellectus, & sensus a suis objectis: ab eo autem quod jam in se quiescit, nihil immutatur. Unde cum esse nostrum, & vivere nostrum, & omnis actus proprii insint nobis ut in nobis quiescentes, sola autem operatio insit in nobis ut in fieri existens, in ipsa operatione percipimus & esse nostrum, & vivere nostrum: & inde est quod in operando delectamur, & in vivendo, & sentiendo, & aliis hujusmodi, in quibus indicatur quodammodo nostrum esse, & vivere, ut

(1) Al. ethici. (2) Al. delectatio. (3) Al. declaratio.

DISTINCTIO XLIX.

patet per Philosophum in X. Ethic. cap. IV. vel VI. Tertio, quia operatio procedit ex his bonis quae in nobis sunt, & quodammodo in se continet sicut effectus causam: per eam etiam bonis exterioribus jungimur: unde omne bonum quod a nobis est diligibile, quietat nostrum appetitum mediante operatione: unde operatio est per se causa delectationis. Non autem omnis operatio est delectationis causa, sed illa quae est ab habitu procedens, & non impedita: bonum enim conjunctum non delectat nisi in quantum est conveniens. Operatio autem efficitur nobis conveniens, & quasi connaturalis per habitum: quia habitus inclinatur in actum per modum naturae, ut Tullius dicit de virtute Lib. II. de invent. num. xxxi v. & ideo dicitur in II. Ethic. cap. ult. quod delectatio in opere facta est signum habitus inherens. Quamvis autem operatio connaturalis nobis fiat secundum habitum, tamen potest esse nobis non conveniens ratione alicujus accidentis, in quantum videlicet habemus aliqua impedimenta progrediendi in talem operationem: unde oportet operationem quae delectationem causat, esse non impeditam; & hoc est quod dicit Philosophus in VII. Ethic. ubi sup. quod in operatione connaturalis habitus non impedita delectatio consistit.

Sic ergo causa formalis propria delectationis est operatio connaturalis habitus non impedita; materialis autem causa delectationis accipienda est ex parte subjecti ejus. Subjectum autem delectationis, & omnium animae passionum est spiritus animalis, qui est proximum instrumentum animae in operationibus quae per corpus exercentur. Ad hoc autem quod spiritus aptetur ad delectationem, duo requiruntur, scilicet debita quantitas, & debita qualitas. Quantitas quidem debita est ut sit abundantia spirituum propter duo. Primo, quia spiritus abundans est quantitate abundans etiam in virtute. Secundo, quia cum ad passionem delectationis requiratur delectatio cordis, & spirituum, non potest (2) dilatio perfici, quando sunt pauci spiritus, quia natura constringit eos, & retinet in suo principio. Sed quando sunt multi spiritus, natura potest retinere partem in principio suo, & effundere abunde ad dilatationem: & ideo convalescentes, in quibus sunt pauci spiritus, sunt praeconi ad tristitiam magis quam ad delectationem. Debita vero qualitas attenditur quantum ad tria. Primo, ut sit temperata complexionis; & ideo aegri non sunt apti ad delectationem. Secundo, ut spiritus sit clarus, & non nubilosus; & ideo melancholici, in quibus sunt spiritus terrestres, & obscuri, sunt praeconi ad tristitiam. Tertio, ut ejus substantia sit mediocri inter spissitudinem & tenuitatem. Si enim sit nimis grossus, sicut in senibus, vel nimis tenuis, sicut in macilentis, non est aptus ad delectationem, quia non est facile dilatabilis. Et propter has causas vinum lificat, quia generat multos spiritus claros, temperatos, & mediocres inter spissitudinem & tenuitatem. Quanto ergo fuerit major dispositio ex parte materialium causarum ad gaudium, vel tristitiam, tanto minus quid requiritur ex parte causae formalis, & e converso: & ideo quidam ex modica occasione laetantur, vel tristantur, quidam vero non nisi ex magna.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis multa alia sint convenientia quam operatio, tamen ex omnibus eis non consurgit (3) delectatio, nisi operatione mediante: quia exteriora convenientia nobis per aliquam ope-

QUAESTIO III.

operationem conjunguntur, interiora vero in operationibus apprehenduntur.

Ad secundum dicendum, quod non qualibet operatio est delectationis causa, sed operatio connaturalis habitus non impedita: & ideo quando cogimur ad aliquas operationes contrarias habitibus qui nobis insunt, vel in quibus impedimenta patimur, ratione quorum accidit nobis fatigatio, & labor; in hujusmodi operationibus non delectamur, sed contristamur.

Ad tertium dicendum, quod triplex ratio est quare non similiter delectamur in processu operationis sicut in principio. Primam assignat Philosophus in X. Ethic. cap. IV. vel VI. quia scilicet cum operatio sit delectationis causa, quanto aliquis attentius operatur, tanto major delectatio ex operatione consurgit: homo autem in principio operationis attentior est ad operationem quam in progressu. Omnia enim nova magis ad se nostram intentionem trahunt: & ideo in progressu operationis, quando aliquis negligentius intendit operationem, non sentit tantam in opere delectationem. Secundam ponit in VII. Ethic. cap. ult. quae etiam est ratio praemissa. Oportet enim in nobis delectationem esse secundum modum naturae nostrae: unde cum nostra natura sit mutabilis, non erit nobis semper idem delectabile, quia jam mutati erimus a pristina dispositione; & sic post pauca non erit nobis conveniens quod prius conveniens erat: & ideo quod prius erat delectabile, fit nobis minus delectabile, vel etiam triste: & haec etiam est ratio quare continuus unius rei in nobis fastidium parit, (4) alternatio vero delectat. In Deo vero qui semper eodem modo se habet, est semper eadem operatio delectabilis, nec aliqua alternatio delectatur; & similis ratio est de Angelis, & hominibus beatis. Tertia ratio potest sumi ex verbis Avicennae in VI. de naturalibus, ubi sup. Cum enim ad delectationem requiratur convenientis perceptio, quanto aliquid minus sentitur, tanto minus est delectabile: res autem in sui novitate magis sentiuntur, quia postmodum earum dispositio fit quasi qualitas quaedam inherens sentientibus: unde fabri qui sonitu malleorum consueverunt audire, non ita moventur a talibus sonis, sicut alii: & ideo in principio operationis homo magis delectatur quam postmodum in processu ipsius continuatae; quamvis forte in processu operatio sit intensior.

Ad quartum dicendum, quod quamvis operatio secundum se sit delectabilis, tamen in quantum adjungitur ei motus, qui fatigationem inducit, est aliquo modo penosa, & contristans: unde & per accidens quies est delectabilis, in quantum tollit contristationis causam, scilicet motum.

Ad quintum dicendum, quod quantum ad causam materialem delectationis senes sunt minus apti ad delectationem quam juvenes: & ideo etiam ex majori causa formali non tantum afficiuntur ex delectatione, sicut juvenes ex minori, loquendo de delectatione quae est passio, quae scilicet in appetitum sensibilis redundat, & magis sensibilis est nobis: sicut sulphur modico igne accenditur, quia est ad hoc aptum; ligna vero quae sunt ad hoc minus apta, majore igne non accendantur. Tamen spiritualis delectatio, quae non est passio, non minor est in senibus quam in juvenibus, sed forte major, in senibus quam in juvenibus.

Ad sextum dicendum, quod illi qui similem operationem exercent, quandoque non eodem modo delectantur: quod potest contingere & ex parte causae materialis, quia non habent spiritus similes ad ope-

In IV. Sent. Tom. V. (4) Al. alteratio, & mox alteratione.

rationem dispositos; & ex parte causae formalis, quia eadem operatio uni est conveniens per habitum sibi inherentem, & alteri non est conveniens qui habitum non habet; immo forte est ei contraria, si contrarium habitum habeat: & propter hoc dare, quod est liberali delectabile, est avaro triste.

ARTICULUS III.

Utrum delectationi tristitia sit contraria.

I. P. quae. xxxi. art. 8. ad 2.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod delectationi tristitia non sit contraria. Passiones enim non distinguuntur secundum suas causas. Sed causa tristitiae est motus, & labor, ut dicit Philosophus in VII. Ethic. cap. ult. unde juvenes, qui sunt in motu, delectationes appetunt quasi medicinas contra tristitiam; causa autem delectationis est operatio. Motus autem, & operatio non sunt contraria, cum aliquando ad invicem conjungantur. Ergo nec delectatio tristitiae contrariatur.

2. Praeterea. Unum contrarium non est materia alterius. Sed delectatio potest esse materia tristitiae: quia, ut dicit Philosophus in IX. Ethic. cap. IV. vel V. pravus post parum tristatur de hoc quod delectatus est: similiter etiam tristitia est materia delectationis, & gaudii: unde & poenitentia indicitur ut semper doleat, & de dolore gaudeat. Ergo delectatio & tristitia non sunt contraria.

3. Praeterea. Delectatio, & gaudium non sunt poenitentia idem, ut ex praedictis patet. Sed tristitia opponitur gaudio. Ergo non opponitur delectationi.

Sed contra. Medicinae fiunt per contraria, ut dicitur in II. Ethic. cap. 111. Sed delectationes sunt medicinae contra tristitias, ut dicitur in VII. Ethic. cap. XIV. Ergo delectatio, & tristitia sunt contraria.

Praeterea. Bonum, & malum sunt contraria. Sed delectatio opponitur tristitiae, ut bonum malo, ut dicitur in VII. Ethic. ubi sup. Ergo sunt contraria.

QUAESTIO IV.

1. Uterius. Videtur quod delectationi quae est in considerando, sit aliqua tristitia contraria. Fatigatio enim est tristitiae causa. Sed in considerando accidit fatigatio. Ergo in considerando accidit tristitia: ergo delectationi quae est in considerando, aliqua tristitia contraria est.

2. Praeterea. Sicut contingit aliquid considerare ut conveniens, ita contingit considerare aliquid ut nocivum. Sed consideratio convenientis causat delectationem. Ergo consideratio nocivi causat tristitiam; & sic idem quod prius.

3. Praeterea. Omnis actio quae est contraria habitui inherenti, est tristitiae causa; sicut ei qui habitum iniustitiae habet, est contristabilis operatio iusti. Sed contingit aliquem habentem habitum alicujus scientiae prodire in actum contra rationem habitus inherens; sicut cum grammaticus non grammatice loquitur, & dialecticus non recte syllogizat. Ergo in considerando potest esse tristitia; & sic idem quod prius.

Sed contra est quod Philosophus dicit in I. Topic. cap. XIII. quod delectationi quae est ab eo quod est considerare, non est aliqua tristitia contraria.

Praeterea. Considerationes procedunt ex rationibus rerum in anima existentibus. Sed rationes rerum etiam contrarium in anima existentes non sunt contrariae, ut dicitur in VII. Metaph. text. XIII. Ergo nec de-